

05

A

1939



DISPUTATIO PHYSICA

DE

GENERATIONE

ET CORRUPTIONE RE-
RUM NATURALIUM,

Quam in florentissima adalbin Academia,

Sub auspicio CREATORIS DEI TRIUNI;

ET PRÆSIDIO

VIRI Clarissimi, atq; Excellentissimi,

DN. M. JOHANNIS Sperlingen/

Lauchâ Thuringi, Physicæ Profefs. Publ. longè
celeberrimi, Præceptoris ac Promotoris sui
æternùm devenerandi,

publicè examinandam


proponit

ESAIAS GÜTTNERUS,

Lösnitio-Misnicus,

in Auditorio Majori,

Ad diem 21. Septembr: horis matutinis.



WITTEBERGÆ,

Literis Johannis Röhneri, Acad. Typogr.

Anno M DC XLIV.

*Admodum Reverendis, Amplissimis atq; Excel-
lentissimis,*

DN. JOHANNI HULSEMANNO,
SS. Theol Doctori Celebratissimo, Aca-
demix VVittebergensis Profess. Publ;
& Alumnorum Electoralium Inspe-
ctori gravissimo.

DN. BALTHASARI BALDVINO,
SS. Theol. Doctori Pereximio, Urbis &
Diæceseos Cycneæ Pastori & Superinten-
denti dignissimo, vigilantis-
simo.

Dnis Patronis, Promotoribus ac Fautoribus suis,
ut benevolentissimis, ita omnigeno observantiæ
& honoris cultu prosequendis,

*Hanc διάσκεψιν Φυσικὴν in studiorum commendationem,
& animi grati σύμβολον,*

D. D. D.

Esaias Güttnerus A. & Resp.



05 A 1939

PRÆLOQUIUM.



Igniferum illum Peripateticorum Aristotelem, *lib. 1. de partib. anim. c. 5.* hunc in modum scripsisse accepimus: *Εὐπασι τοῖς Φυσικοῖς ἐνείητι τὸ γαυμασόν.* Magnifica fanè vox, & tantò Philosophò dignissima. Luculentè enim non solùm pro testimonio dicit, quòd etiam homines à vera religione aliàs; averfissimi, vel ex minutissimis naturæ rebus stupendam Creatoris sapientiam clarissimè elucere, scitissimè adverterint; Sed & nobis, ut summa quæque altius perpendamus ac consideremus seu invitamentum seu incitamentum præbet in obscurum. Etenim si divinum quid res etiam levissimæ & abjectissimæ spirant, quid quæso judicandum de iis, quæ omne ingenii humani excedunt fastigium? Annon in illis ipsis se summò defatigare studiò, summa erit felicitas? Cæterùm, etsi hæc omnia liquidæ sint omninò veritatis, interim tamen magnam mentis humanæ cœcitatem esse, rectissimè conquesti sunt majorum gentium Philosophi. Verè enim verum est dictèrium *Magni illius Scaligeri Exerc: 307. Sect. 12.* Scientiam nostram, vocantis, umbram in Sole. Et *Exercit: 131. Sect. 1.* In luce rerum tenui nos caligare, in mediocri cœcutire, in majore cœcos esse, in maxima insanire. Unde etiam *Aristoteles* intellectum nostrum comparat cum vespertilionum oculis, ad lumen diei caligantibus. Quod cùm ex omnibus ferè rebus satis superq; verum esse constat, tùm vel maximè ex *abstrusissimo illo Generationis opere*, illud manifestarium evadit, in quo per plurima occurrunt, quæ humani captus & ambitum, & basin, & fastigium superant, quæque exactè ne minima quidem suâ parte sub jugum cognitionis nostræ mitti possunt. Summè enim miraculosum est, quòd res naturâ suâ caducas *DEUS gloriosus* generationis beneficiò ab interitu vindicare, & æmulatione quadam æternitatis propagare, & ita semper in suo simili easdem perennare voluerit. Vivit homo in homine, brutum in bruto, frutex in frutice, planta in planta. Et quàm miranda generatio, tam stupenda corruptio est, quàm non inanimes creaturæ tantùm, sed ipsa quoque viventia & homines

ad intentum vergunt. In quo igitur stupendo opere, licet, inquam, per plurima sese offerant, quæ à nobis sufficienter explicari nequeunt: Tamen nos quali illa quali cognitione contentos esse addecet, quippe cum humanae sapientiae pars magna sit, quaedam æquò animò ignorare velle. *Scal. Exercit. 307. Sect. 29.* Proinde hæc vice, de *admirando hoc generationis & corruptionis opere*, quantum humanae capitis conjectura mentis, non subtiliter, sed utiliter verum exquisituri, hæc pauculas positiones, *dextro DEO*, proponemus. Sit itaque

THESIS I.

Nobis itaque de Generatione & Corruptione rerum naturalium disputationem suscepturis, non sine utilitate insigni fore videtur, si illam juxta quatuor causas & principia perpenderit: De distinctis autem distinctè agendum, & primò quidem locò Generationis naturam atque rationem investigabimus, postquam illius æquivocatio fuerit sublata: Etenim magnum adjumentum ad ejus rei perspicuitatem suppeditat hæc explicatio, teste *Aristot. lib. 1. Topic. cap. 18.*

II.

Generationis vocabulum trifariam apud Autores accipitur: *Latè, Strictè, Mediò locò.* Latè sub se complectitur, tam accidentalem, quam substantialem generationem, quatenus tam accidentia quam substantia generationem subire dicuntur. *Strictè* verò accipitur, pro solâ viventium productione, ut in *lib. de anim.* *Mediò* verò *modò* considerata, in genere omnem & quidem solam substantialem corporum naturalium generationem comprehendit. Nos de generatione disputaturi, eam, prout in ultimâ significatione sumitur, acceptamus.

III.

Sed *mîsâ κατὰ τὴν οὐσίαν* tractatione ad *πραγματολογία* pergimus, quæ rei definitionem nobis exhibet, eaque cum genere constare debeat & differentiâ, *lib. 1. Top. c. 7. & lib. 6. Metaph. c. 12.* utrumq; persequemur.

IV.

Definitionem Generationis alii habent aliam: Quidam definiunt: *Quod sit mutatio à non esse ad esse; vel quod sit mutatio à privatione formæ substantialis ad formam substantialem in materia.* Verùm quia per illud *non esse*, non-Ens privativum intelligunt, & per privationem formæ in materia aut semine absentiam formæ, interpretantur, de-
scriptio

scriptio hæc nobis non admodum placet. Alii: *Quod sit mutatio sa-
tius, nullo subjecto sensibili eodem manente.* e. g. quando ex cibo fit
sanguis, ex semine animal; ibi neutrum manet, quod antea erat. Ast
hac ratione unum idemque esset generatio & corruptio; cum & cor-
ruptio sit mutatio totius, nullo Subjecto sensibili eodem permanen-
te: Quod tamen nullo modo fieri potest; Alia enim est essentia & na-
tura generationis; alia natura atque ratio corruptionis: Hæc diver-
tas itaque ut exprimat, necesse est. Nobis placuit sequenti defini-
tioni subscribere, quippe quæ generationis essentiam atque naturam
exhaurit: *Generatio, itaque, est actio corporis naturalis misti, qua sibi si-
mile producit, ut perpetua specierum conservatio constet.* Excell. Dn. Prales
in Instit. Libr. 6. c. 2. Pr. 1. p. 989.

V.

Definitio hæc paulo diligentius est exentienda. Constat Genere
& Differentiâ. Genus est *actio*, quam Generationi assignamus, ut à
corruptione distingvatur. Generatrix potentia activa est, non passi-
va. In actione itaque consistit generatio.

VI.

Genere indagatò, progredimur ad Differentiam, quâ generatio
ab aliis dignoscitur. Eam absolvunt quatuor causarum genera. *Effi-
ciens, Materia, Forma & Finis.* Antea expediemus causas externas,
quàm ad internas provehamur.

VII.

Efficiens est corpus naturale mistum, quod aliàs interitui ob-
noxium, generationis beneficio perennitatem consequitur. Illud
non contrahimus tantum ad animata, ac si inanimata essent exclusa;
Omne enim mistum sese multiplicare & ab interitu conservare, la-
borat. Hinc non tantum homines, leones, arbores generari videmus,
verum etiam metalla hoc sibi propagandi jus vindicare, compertum
est. De auri generatione Excell. Dn. Prales monet, eam non tam à
speculatoribus, quàm à metallorum cultoribus discendam esse. In
fodinis enim metallicis qui versantur & mineralium coctionibus,
probationibus & resolutionibus operant navant, non tam ratione,
quàm sensu hoc ipsum demonstrant. *Instit. Phys. p. 1032 confer p. 1043.*
U seqq.

VIII.

Finem generationis perpetuam specierum conservationem esse
dicimus.

creatus. Corpora enim naturalia sunt in duplici differentia: vel sunt simplicia, vel mista. In illa nulla cadit corruptio; Hæc interitus sunt capacia. Hinc cœlum & Elementa non generantur; Generantur autem homines, canes, leones, arbores & lapides. Sola enim generatione Deus naturæ auctor æternitatem largitur caducis.

IX.

Absolutis jam causis externis, restat ut internas quoque attexamus. Et quidem primò *materiam*. Generatio autem cum sit accidens, non agnoscit materiam *ex Qua*; Hinc, ob accidentis naturam sollicitissimus de materia *in Qua*; Eam semen, aut quiddam femini analogum esse statuimus. Vulgò duplicem faciunt materiam, *proximam, & remotam*. *Remota* illis est materia prima, quæ sit subjectum omnium mutationum, corpori naturali obtingentium. *Proxima* materia sint elementa, quæ secundum eorum sententiam etiam transmutantur, & propterea communi aliquò Subjectò indigent. Verùm nisi aliæ accesserint materiæ, nulla unquam speranda generatio.

X.

Forma generationis in eo consistit, quòd per illam corpus novum quoad speciem priori simile producat. Cum enim individua corporum naturalium compositorum ex irreconciliabilibus inimicitiis sint conflata, nequeunt perpetuari & in immutabili esse perdurare. Unde finitis induciis propriò tandem motu solvuntur. Ne verò species pereat, & mundi integritas labefactetur, Deus, naturæ Pater, omnibus speciebus, virtutem se se multiplicandi, concessit, ita ut corpus producendum cum producente quoad speciem conveniat. Secus enim si fit, non specierum multiplicatio, sed aberratio invenitur. Canis enim non in equo, neque equus in leone suam conservabit speciem.

XI.

Genes. 1.
v. 20.

Et hæc causa est, quare Dominus naturæ in ea ordinandâ singulis speciebus sui multiplicationem præceperit. *Dixit DEUS: producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile volet super terram in superficie expansionis cœli, &c. Benedixitq; DEUS illis dicendo, Crescite ac multiplicamini, & replete aquas quæ sunt in maribus, & volatile multiplicet sese in terrâ.*

XII.

Dividitur Generatio in *inchoatam s. imperfectam & consummatam*

inchoata per se. *inchoata* est actio, qua forma, mediante aliqua sua speciei materiâ, producitur. Hujus generationis terminus est forma: Natura enim non per saltus, sed per gradus suas absolvit operationes; hinc in generatione primum forma cum aliqua materia producitur & transfunditur, quæ illius prima rudimenta constituit. Igitur simul ac forma est producta, inchoata generatio facta est, utpote quæ formam in semine pro termino habet.

XIII.

Generatio consummata est actio, quâ totum compositum cum omnibus suis partibus producitur. Natura enim quod inchoavit, non imperfectum relinquit, sed suo tempore ad perfectionem deducit: Hujus generationis terminus est totum Compositum, quod natura primario intendit, cum non tantum formâ sit nobilior, verum etiam speciei similitudinem exactè repræsentet.

XIV.

Et sic de Generatione: Sequitur nunc *Corruptio*, quam ita describimus: *Corruptio est passio corporis naturalis mixti, quâ in minima sua resolvitur*; scilicet, si ultimum istius spectes terminum. Aliàs sic definitur: *Corruptio est mutatio ab esse ad non esse*. v. g. ut cum ex homine fit cadaver, ibi enim homo esse desinit. Per hoc *non-esse* intelligunt privationem, in quam forma substantialis in ipsa corruptione redeat. Verum, cum id in homine per se sit insipidum, in cæteris etiam nulla privatio præcessit, nullaq; sequitur, in eam forma regredi non potest.

XV.

Eadem fermè de *Corruptione* hinc notanda veniunt, quæ de *Generatione*. Et primum quidem quod attinet definitum, duplici usurpari potest modò: vel *proprie*, vel *improprie*. *Proprie* quidem eò modò, quo jam à nobis ea est definita. *Improprie* verò sumitur, quando corruptio pro motu accipitur.

XVI.

Genus quod attinet, illud diversum habet à generatione, nempe *passionem*. Patitur enim corpus mixtum, quando essentia ejus destruitur. Sic homo, quando corrumpitur, sanè citra passionem eam non oppetit. *Passio* aliàs est vel *perfectiva* vel *destructiva*: *Perfectiva*, quæ subjectum ad perfectionem evehit; *Destructiva*, quæ illud corrumpit, & destruit. Hoc locò nos intelligimus destructivam.

XVII.

Dehinc descendimus ad Causas; identidem ponderabimus
Efficientem, Finem, Materiam & Formam. Causa Efficiens ex subjecti
conditione varia esse potest, hinc ad certum modum determinari ne-
quit, quemadmodum in divisione prolixius audiemus. Corrupti-
tur corpus naturale vel naturâ, vel violentiâ, quæ infinitis modis in-
ferri potest.

XVIII.

Finis omnis est bonus & boni. Ipsa verò corruptio cum ma-
lum sit, finem non habet. Et quamvis unius corruptio alterius sit ge-
neratio; tamen id de nudâ consecutione intelligendum.

XIX.

Ut in Generatione mixtum producitur, & sic est materia seu Sub-
jectum, circa quod versatur Generatio: Sic etiam in corruptione de-
struitur. Homo, arbor, lapis, quando corrumpuntur, abeunt in pul-
verem, & alias elementorum particulas. Eadem hinc controversia no-
bis movetur, quæ mota est supra de subjecto generationis. Sunt enim
qui dicunt, materiam primam ut generationis: ita etiam corruptio-
nis esse Subjectum, cum semper commune quoddam remaneat sub-
jectum, in quo hujusmodi transmutationes exercerentur. Et ut res
evadat manifestior, declarant hoc exemplo: *Ex nihilo nihil fit.* Omne
enim corpus ex alio nasci animadvertitur, nec corpus ullum evanes-
cit, aut in nihilum redigitur, sed corruptum continuo in aliud con-
vertitur. Est namque generatio unius, alterius corruptio, & contra.
Sic lignum cum comburitur, non annihilatur, sed pars ejus fit cinis,
pars in fumum resolvitur. Aqua igne diutius cocta, in vaporem ver-
titur. Vapor condensatus, denuò fit aqua. Ex terra putrefacta sæpe
nascuntur vermes, qui rursus tandem in terram convertuntur. Ex ter-
ra herbæ prodeunt & arbores; ex quibus, successu temporis, alia atque
alia fiunt opera, & in summa, varia & infinita est penè corporum
commutatio. Quod itaque in hujusmodi transmutationibus sem-
per manet, neque unquam in nihilum redigitur, sed varias illas mu-
tationes in se suscipit, hoc ipsam, dicunt, esse materiam primam. Sed
præter necessitatem. Corruptiones enim rerum qui observant, in di-
versas resolvi particulas mixtum, è quibus constabat antè, facile de-
prehendent: In primam verò illam materiam nunquam abire, con-
spiciunt.

spiciunt. Et cum elementa propter suam simplicitatem plane non
transmutentur, nullò modo fieri poterit, resolutio in materiam,
quam vocant, primam. Neq; etiam de herbis, arboribus, & vermi-
bus, quæ dicunt, vero consonant. Manet itaque corpus naturale
mistum corruptionis Subjectum.

XX.

Formam Corruptionis ille absolvit modus, secundum quem cor-
pus naturale mistum destruitur, & in minima resolvitur. Jam antè
ex incidenti hujus mentionem iniecimus, quod quemadmodum
per Generationem idem quoad speciem corpus naturale produci-
tur, sic per corruptionem, quod antea existebat, resolvitur in ea, ex
quibus constabat, elementa.

XXI.

Nunc subjicimus *divisionem corruptionis*. Dividitur autem in *Na-
turalem & Violentam*: *Naturalis* est, quæ secundum communem na-
turæ cursum accidit. Hæc oritur ex internis contrariis naturæ
principiis, quæ mirò foedere aliquantisper connexa, inducias agunt.
Alterutrum quando vires accipit, jugum excutit alterum oppri-
mit, & corpori interitum accelerat. Et potissimum contingit per
putrefactionem & arefactionem. Per *putrefactionem*, quando sc. calor
naturalis, ab ambiente calore auctus, proportionem quam ad pas-
sivas habere debet, amittit, & propterea evaporat & mistum dese-
rit: Quò destitutæ partes humidæ & siccæ separantur, ac sui eva-
dunt juris, quæ ante sub alterius erant potestate: Per *arefactionem*
verò fit corruptio, quando misto debitus negatur affluxus. Quoti-
diè enim aliquid ab humido radicali absimitur, quod per spiritum
influentem restaurari debet: Ille igitur, quando manet, reliquæ
partes humidæ à calido exsiccantur, exhauriuntur, aridæq; reddun-
tur. Sic arefiunt plantæ, arbores, animalia.

XXII.

Violenta verò corruptio est, quæ præter communem naturæ cur-
sum accidit. Varia & multiplex est pro varietate earum rerum, quæ
corrumpuntur: Non enim instituitur à causis internis, sed à vi ex-
ternâ, quæ infinitis modis contingere potest. Sic alia conteruntur,
alia confringuntur, alia dilacerantur, alia corrumpuntur & com-
buruntur; nunc in lapidem, nunc in ferrum, nunc in cuprum,
nunc in venenum commutantur.

B

XXIII.

Ex hactenus dictis demùm patet, in quibus conveniant, & in quibus discrepent Generatio & Corruptio. Conveniunt quidem sequentibus modis. 1. Quòd utraque commune & idem habeat subiectum, corpus sc. naturale mixtum. 2. Quod, ut generatio non est nisi totius & compositi: ita & corruptio. 3. Quòd utraque alteram perpetuò comitetur. *Generatio enim unius est alterius corruptio.* Dissident autem in his: 1. Quòd generatio sit *perfectivum* quid: Corruptio verò *destructivum*, quod ex utriusque termino *ad Quem* satis patet Generatio enim tendit in substantiam, quæ antea non erat: Corruptio verò in destructionem Substantiæ quæ antea fuerat. 2. Generationem natura intédit; à corruptione v. abhorret penitus.

QUÆSTIONES.

I.

Utrum forma substantialis momentò temporis introducatur in Subiectum?

Affirmativa nobis arridet sententia, & quidem ex hoc fundamento: Ut forma aliqua successivè ac divisibiliter introducatur in subiectum, duo requiruntur: 1. Ut Forma introducenda habeat partes sive gradus suæ intensiōnis. 2. Ut in subiecto præexistat qualitas contraria, quæ repugnet momentaneæ seu subitæ introductioni novæ formæ. Neutrum verò reperitur in substantialibus formis. Neque enim suscipiunt intensiōnem ac remissionem: siquidem ut *Arist. in predic.* ait: Substantia non recipit magis & minus. ut: Unus ignis non est magis ignis, aut magis formam ignis participat, quam alter: Neque etiam substantiales formæ habent contrarium teste eodem *Arist. ibid. c. de Substantia* Nam *Contrarietas* inter *qualitates* est, non inter *substantiales formas*. Deinde forma in indivisibili consistit, ideoq; in temporis indivisibili momentò produci debet; atq; ita ejus generatio erit indivisibilis, id est, carebit continuatiōne & successione. *Nec obstat*: Infantem in utero materno aliquot mensibus generari. Item: Illud vel hoc corpus sensim interire ac corrumpi. v. g. lignum non temporis momentò, sed continuè & successivè conflagrat. Ergò generatio ignis successiva est non instantanea. Resp. In hujusmodi locutionibus connotantibus spatium temporis, vocabulum Generationis & Corruptionis non accipitur *proprie* pro mutatione substantiali; sed *improprie* pro mutatione

tione

tionē accidentali. Hic verò sumitur *proprie ac strictè* pro solius formæ in materiâ introductione, quæ fit in momento. Atq; ita infans in utero materno non generatur aliquot mensibus, sed in momento. Sic homo non moritur aliquot diebus vel horis, sed in momento extinguitur, etsi per longum temporis spatium ægrotat, & ad mortem præparatio fiat. Deinde quod attinet alterum exemplum de ligno non in instanti conflagrato. Resp. id partim per accidens evenire, partim etiam ad propositam quæstionem nihil interesse. Per accidens id evenit, videlicet ex inæquali applicatione partium subjecti: Ponamus autem omnes partes subjecti, v. g. ligni æqualiter applicari agenti igni, adeoq; æqualiter disponi ad suscipiendam formam ignis, tunc profectò futurum esse, ut ignis unicò instanti resultaret in toto subjecto, & lignum unicò instanti conflagraret. Ad quæstionem verò id nihil interesse, ratio est: Quia nos quærimus, utrum generatio sive introductio formæ substantialis successiva sit, successione ortâ ex graduâ intensione ipsius formæ; utrum, inquam, substantialis forma per gradus successive introduci debeat in subjectum, quò sensu illud negamus. Et constat exinde; cùm subjectum plures partes habeat, quæ non possunt simul æqualiter applicari efficienti, per consequens, neque simul, sed successive in subjecti partes forma substantialis est introducenda.

II.

An detur Substantialis Generatio?

Pro parte negativâ videtur militare hoc argumentum: Aut enim generatur forma, aut materia, aut totum Compositum: non Forma, quia quicquid generatur, ex materia supposita generatur; Forma autem non fit ex materia: Est enim principium; principia autem definiuntur ab *Arist. 1. Phys. tex 42.* quæ ex se invicem non fiunt &c. Neque Materia generatur; quia eam ingenerabilem esse constat. Denique totum compositum generari non potest, si neutra ejus pars, videlicet *Materia & Forma* non generantur. Quod confirmari potest hoc modo: *Ex non-Ente simpliciter nihil fit.* Generatio autem definitur ab *Arist. 5. Phys. c. 2.* quod sit transitus à non-Ente simpliciter, ad Ens simpliciter. E. nulla est generatio. Dari autem generationes in natura substantiales constat hac ratione; Ubi à natura instituta sunt media ad aliquem finem, necesse est finem illum naturaliter consequi: sed accidentales mutationes naturaliter in-

Ritum sunt ut media ac via ad substantialem mutationem efficiendam. Ergo, necesse est, substantialem mutationem naturaliter fieri. Major constat. Nam natura nihil facit frustra, ut dicitur *1. 1. cæl. tex. 22. l. 2. de cæl. tex. 59.* Esset autem frustra institutum medium, si finis nunquam sequeretur. Min. experiētiā nota est: quando quid formam accidentalem amittit, & pristinam naturam relinquit, mediante illā amissione acquirit sibi formam substantialem, quæ generationem substantialem perficit. Ad argumentum igitur Respondemus: *Et Materiam & Formam generari in ipso Composito.* In thesib. distinximus inter *Materiam simplicem & mistam.* Illa quidem non generatur, *hac tantum per generationem propagatur.* Ad hominis materiam spectat cor, spectat pulmo: at generatur cor, generantur pulmones. Forma etiam omnino non abhorret à generationis modo; Mediante enim semine in quavis generatione producitur forma, quæ primū generationis terminum constituit, seu generationem *inchoatam* præstat, & deinde suā industriā *consummatam* adjicit. Alterum argumentum quod attinet, dicimus desumptum esse ab *autoritate*, & propterea nostræ sententiæ nihil derogare. Deinde si de materia Simplici intellecta fuerit, citra veritatis dispendium in generabilis dici potest.

III.

An detur Generatio equivocata?

Neg: Communiter distingvere solent Generationem in *Univocam & Equivocam.* *Univocam* dicunt, quando generans & genitum sunt ejusdem speciei. v. g. quando homo generat hominem, leo leonem, canis canem. *Equivocam* verò quando generans & genitum discrepant per diversitatem speciei. v. g. quando virtute corporum cœlestium animantia illis progignuntur, ut, mures, ranæ, locustæ, formicæ & alia id genus animantia *diversa.* Sic *Philos. l. 6. de historia anim. c. 16.* angvillas ex putri uligine in stagnis & lacubus procreari author est. Altra liquidem, secundum eos, & inter hæc Sol imprimis, eam à naturæ Principe & Auctore Deo fecunditatis prærogativam acceperunt, ut ad quorundam, quæ spontè, nulloq; semine enascuntur, generationem, tanquam peculiare ipsius DEI instrumentum adhiberentur. Generantur itaque ipsis generatione equivocata, citra semen virtute astrorum animalia. Verum, specificationem dat, non causa communis & universalis: sed pro-

xima

xima & particularis. Cùm sit ejusmodi animantium generatio particularis, sive, quia ejusmodi animantia sunt particulares effectus, sequitur necessariò etiam ipsis assignari debere particularem causam. Nihil enim sine efficiente particulari prodit in lucem: Sol verò & cætera corpora cœlestia ad producenda corpora naturalia sese indifferenter habent, ita, ut non magis ranam aut murrem, quàm hominem & equum generent. Quare si Sol eodem influxu ad generationem ranæ, muris &c influit, cur nunc hæc, nunc alia species generatur? Ad materiæ dispositionem si fugiunt, causarum genera mutant. Sol non potest dici specierum naturalium ita causa efficiens, ut illi effectus aliam particularem causam non habeant. Et quomodo animatum ab inanimato? Quomodo vivum à non vivo? Qui plura de hac quæstione desiderat, vid. *Excell. Dn. Præsid. in suis institut. Phys: c. 2. l. 6. de generatione & Corruptione p. 998.*

IV.

An Generatio & Corruptio sit perpetua? N.

Aristotelis in l. 1. & 8. Phys. & in lib. 1. de cælo & in 3. de generatione tex. 6. ad fin. constans est sententia, in hisce rebus caducis perpetuam esse generationem & corruptionem, & utriusque vicissitudinem, & neque cœpisse aliquando, neque desituram. Cujus sententiæ duo habet firmamenta. Primum est in perpetuo & irrequieto cœli motu. Secundum in potentia materiæ, quia, ut ipse existimat, neque cœli motus aliquando cœpit, neque aliquando desinet. Et cùm materia secundum omnes & singulas partes capax sit omnium formarum, semper ab aliis atque aliis agentibus transmutari potest. Verùm hæc sententia à veritate est aliena, quoniam aliquando cœpit mundus, & aliquando motus & tempus non erit; Atque adeò neque Generatio neque Corruptio.

V.

An quod semel corruptum est, possit numero idem redire?

Diversæ in hac quæstione occurrunt sententiæ. Prima tribuitur Platoni, (quem tamen Marsilius ita sensisse pernegat) qui affirmat absoluto motu octavæ spheræ, omnia reditura, ad eundem statum. Illum verò motum existimat durare 36. millibus, vel 49. millibus annorum, quod spatium temporis vocatur ab illis annus magnus s. *Platonicus*, ut colligitur ex *Cic. l. 2. de natu. Deor.* Empedocles

etiam infinities hunc mundum generari ac perire existimat. *Secunda sententia* est *Arist.* in l. 2. de gener. tex. 96. & 30. qui, nihil idem numero in rebus caducis recurrere; sed tantum secundum speciem. *Tertia* est *Richardi ap. Toletum quest. 13.* & *Scoti*, qui existimant, posse aliquem effectum eundem numero etiam in caducis recurrere. Fundamentum est, quia unitas effectus pendet ab unitate materiae & agentis, quae vicissim possunt recurrere. *Quarta sententia* est *Durandi, Marsilii* & quorundam aliorum, qui contra negant possibile esse ut simplicitet corrupta, eodem numero recurrant, Fundamentum est, quia non potest redire tempus & motus; neque verò potest eadem res bis produci. Confirmatur, quia ideò potest homo idem numero divina virtute resurgere, quia utraque illius pars permanens est. Ergò. Cujus partes continuo labuntur & vel omnes vel aliquae intereunt, simpliciter non possunt recurrere. Sed nos dicimus: I. Sententiam *Platonis* (si tamen est illius) esse nullam & contra rationem. Nulla est, quia repugnat *Christianae fidei*, de perpetuitate beatitudinis bonorum, & damnationis malorum. Et rejicit illam *S. August. lib. 12. de civit. DEI. c. 13.* Habemus verò manifestè in scripturis divinis, fore, ut beati, devictâ morte & mortalitate, sempiternum agant ævum cum DEO. Inde *S. Paulus Thess.* Deinde nos, qui vivimus, rapiemur obviam &c. & sic semper cum DEO erimus. Dicimus præterea esse contra rationem. I. Quia est contra rationem perfectæ beatitudinis. Illa enim requirit perpetuam ultimi boni, sine timore amittendi possessionem. Deinde quoque repugnat rationi libertatis humanæ. Tertiò, quia falsò innititur fundamento, ut ostendit *P. Venetus*, quia Mathematici affirmant, multos motus non esse commensurabiles, idemque *Ptolomæus* inquit: Nullam esse constellationem alteri usquequaque similem. Ex quo sequitur, ad eundem locum astra non posse recurrere, etiam si motus octavæ sphaeræ compleatur. Secundò dicimus: Nulla res numero eadem semel corrupta per naturam potest iterum produci. Ita *Aristot. l. 2. de generat. & in prædic. cap. de Oppos.* ubi ait: *A privatione ad habitum non esse regressum.* Et ita occurritur rationi tertiæ sententiæ Tertiò dicimus: Per potentiam absolutam potest DEUS quamcunque entitatem permanentem iterum reproducere: quia est nulla repugnantia. Res enim per suam Entitatem fit hæc numero, & ut fiat hæc, non pendet intrinsecè neque à tempore, neque

que à loco, neque ab alio aliquo extrinsecò. Igitur potest Deus illam Entitatem & omnia sibi *intrinseca* reproducere, tametsi variata sint *extrinseca* illius rei. Ratio est, quia Deus neque à tempore, neque à loco pendet in suis actionibus, neque determinatur, nisi à *sua libera voluntate*. Et ita quoque occurritur *Durando* & aliis in quartâ sententiâ.

VI.

Utrum forma an compositum sit generationis terminus?

Generationem terminari tam ad formam, quam ad compositum, omnibus facile patet; diversus tamen observandus est respectus. Nam terminus generationis est vel *Proximus*, vel *Ultimus*. *Proximus* ita consideratur ratione executionis, & hoc respectu forma est *terminus generationis*, quæ cum aliqua materiâ producitur. *Ultimus* verò tali respectu est compositum, quippe quod intentione primum fuit, executione fit ultimum. Equidem verum est illud tritum: *Natura intendit perfectissimum primò*. Ubi habemus *naturam & generantem & intendentem*. Natura, quod primò intenderat, ultimò generat; & quod ultimò generat, primò intenderat.

Concludimus verbis Scaligeri Exerc. 6. §. 2. *Non fit canis à canino semine per corruptionem: sed per ejus perfectionem. Non quomodo fit juvenis ex adolescente, vir ex juvene: sed alio quidem operosiore. Sunt enim gradus ad hunc modum. Is primus est, quem dicebam: ex infante puer. Secundus est, ex animali animal: ut fit in eruca & bombyce. Tertius, ex ovo pullus. Fractò namq; putamine corruptum nihil intus invenitur, sed perfectum. Corruptum intelligo, sicut in putrefactione. Quartus modus remotior est. Quippè ex semine quod nullâ facie terminatur, animal fit. Vulgò tamen, quia desinit semen esse, corrumpi dicitur. At apud Sapientes, quia nihil perit, revera perficitur.*

Tantum.

Ad

Doctissimum Dn. Respondentem,
Disputationis Autorem.

Naturæ robur pauidis Güttnere, docesq;
Quid valeat, quantum sedula ferre queat,
Magnæ molis opus! Nosti quod lyncea fallat
Lumina Naturæ cuncta potentis opus.
Sed tentare licet, pergas abscondita mente
Pandere felici, præmia clara feres.

F.

M. Johan. Eperling/
P.P.

Nuper monstravit Güttner concessa talenta
Publicitûs, rursùm monstrat: id artis opus!
Perge modò suaves Güttnere haurire liquores
Pegasei fontis, præmia certa feres

Fausta adclamat.

F.

M. Martinus Bawer/
Lobenst. Varisc.

TE, Güttnere manent speratæ præmia laudis,
Dum quæque scitâ das resoluta viâ.
Te Natum nullo generavit Apollo dolore,
Te, quantus quantus, dædala diva colit.
Murcia perpetuo luget corrupta labore,
Dùm lauru frontem cinget Apollo tuam.

properanter scrib.

M. Johannes Mirus
Adorfiâ Variscus.

Perlegi d. 27 Jul. 1700.

05 A 1939

ULB Halle 3
003 785 19X




[Faint handwritten mark]

[Handwritten mark]







DISPUTATIO PHYSICA 36
DE
GENERATIONE
ET CORRUPTIONE RE-
RUM NATURALIUM,

Quam in florentissima adalbin Academia,
Sub auspicio CREATORIS DEI TRIUNI; *Per.*
ET PRÆSIDIO

VIRI Clarissimi, atq; Excellentissimi,


DN. M. JOHANNIS Sperlingen/
Lauchâ Thuringi, Physicæ Profefs. Publ. longè
celeberrimi, Præceptoris ac Promotoris sui
æternùm devenerandi,

*publicè examinandam
proponit*

ESAIAS GÜTTNERUS,
Lösnitio-Misnicus,

in Auditorio Majori,

Ad diem 21. Septembr: horis matutinis.



WITTEBERGÆ,

Literis Johannis Röhneri, Acad. Typogr.
Anno M DC XLIV.